Gregorowic Sigismundi: Quaestio theologia de sacramentis in communi.

QVÆSTIO THEOLOGICA

De Sacramentis in Communi

Ex Tertia Parte Summæ Diui Thomæ Aquinatis desumpta.

Q V A M.

Præsidente Admodum Reuerendo Dńo

M. MATTHIA BLOSIO

S. Th · Doctore & Professore, eiusdem Sacræ Facultatis, ac Ecclesiæ S. Floriani Decano. obseruandissimo Præceptore.

M. SIGISMVNDVS GREGEROWIC S. Theol: Baccalaureus, & Professor, ad S. Florianum Canonicus publicè ad disputandum in Alma Academia Crac: Regni Pol: Schola Generali.

Permissu Sacræ & Augustæ Facult: Theol: propt. *Lectorio DD. Theol: Mense Februario. Die 20 Hora 14 Anno Dńi, 1642.*

CRACOVIÆ,
EX OFFICINA CHRISTOPHORI SCHEDELII,

Ad NAVIM ILLVSTRISSIMAM.



Innumeris grauior cymbis ratibusq́;, carina
Quo tendis magnis mercibus eximia?
Cœlestes venti per quæ Te compita flectunt?
Vt PATRIAE vt Templis grandia dona feram.

Illustrissimo & Reuerendissimo Principi,

D. IACOBO ZADZIK,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopo Cracouiensi, Duci Seueriæ,

Acad: Cracou: Cancellario Optatissimo, Dño & Patrono suo Clementiss.

Omnem felicitatem & beatitudinem precatur.

IN Sinum Celsitudinis Tuæ amplissimum. Quæstio de Sacramentis vltrò descendit Princeps Illusriss. : tutũ & neceßarium omninò existimãs sub magni Sacerdotis & Sacrorum Antistitis patrocinio quiescere. Alienus multarum sectarum hac in materia quæ ad discutiendum proponitur sensus, non citiùs vitam sensumq́, amittet, quàm Celsitud. Tuæ expugnatus præsidijs, deterritus protectione fortißima Sed & nos qui in Academiæ nauigamus rate, non aliud intueri in cælo Polonico Sydus debem⁹, præter Te Præsul Amplissime si portu gaudere optato nõ naufragio perire insperato prætendimus. Cynosura nauigationis nostræ Tu es; cuius felicißimus ortus, artus nostros laborib⁹ aßiduis fractos, ad Spartæ suæ ornandam dignitatem solatur & firmat. Dabis igitur Illustriß. Princeps benignum oculũ & animum arcanis hisce, quia veritatem inuictã Ecclesiæ & pondus rerũ nullis arietibus impietatis è sua statione mouendũ ad Tuæ pietatis & officij defensionem scis pertinere. Ne faces firmamenti curiosus magis quàm prudens numerare videar, laudes Tuas non

numero: ad quas si vniuersi orbis Oratores enarrãdas conspirēt, vel muti vel non pro dignitate Celß. Tuæ futuri eloquentes. Gaudet Respub. Polona tanto Senatore, cuius dicta & facta, robur & valetudo Patriæ sunt, qui solis adinstar omnes Regni partes virtutis & concoctæ Sapiētiæ luce attingis & illuminas. Gaudet Ecclesia tanto Pontifice cui pietas ipsa & sanctitas anima rerū sunt, qui Episcopalis vigilantiæ & contentionis miraculum Es, Seræ etiam posteritati admirandum. Gaudet Academia Cancellario in quo omnes Benefactores suos & Illustr. illa Reipub. lumina bene in Academiæ vel potiùs ipsius Patriæ integritatem inclinata clausa & comprehensa videt, omnes illos (non adulationis sed veritatis hæ paginæ sunt) liberalitate, magnificentia, prudentia, clementia, vigili cura, adæquasti vel certè eminentius excesßisti, vtinam diutißimè tam excelso & nos, & posteritas nostra quæ sub Cancellariatus Tui felicißimis auspicijs cum stupore in omni pietatis & eruditionis gloria aßurgit fruamur bono. Non inania reddet desideria nostra Academiæ gēma vineæ Iagellonis pulcherrimus Botrus Diuus Ioannes Cantius, quem Tu Regio sumptu & vix audita vnquam liberalitate dotando ditasti, vt tam ingens Lumen nō sub modio, sed in augustißimis Ecclesiæ Candelabris positum luceret. Pro tot tantisq; beneficijs mille Tibi impetret vitas, mille solatia, vt ita quem beneficio Tuo clarius viuere voluisti, eiusdem beneficio viuas & valeas, Ecclesiæ, Reipublicæ, Academiæ, Tuorum Clientum vltro ad Te venientium spem implendo. E Collegio Maiori Acad. Crac. XV. Calend. Martij. Anni 1642.

Illustrißimæ Celß. Tuæ

humillimus Cliens

M. Sigismundus Gregerowic
S. Theol: Baccal: ac Professor
Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani ad Crac. Canonicus.

QVÆSTIO.

De Sacramentis in Communi.

VTrum Sacramenta Nouæ Legis à Chriſto Domino quatenus Deus & homo in rebus & verbis determinatis certo numero inſtituta, per legitimum Miniſtrum rectam intentionem habentem adminiſtrãda, ad cauſandam in ſuſcipientibus gratiam, & characterem ordinata; omnia ad ſalutem hominum ſpiritualem & vitæ æternæ conſecutionem ſint ſimpliciter neceſſaria nec ne?

CONCLVSIO I.

CHriſtus Dominus quatenus Deus & homo Sacramentorum legis nouæ inſtitutor eſt.

COROLLARIA.

1. Ad institutionem Sacramentorum legis nouæ Christus Dominus quatenus homo delegata seu transfusa in humanitatem authoritate concurrebat.

2. Sacramentorum legis veteris institutio in Deum est referenda.

3. A nullo homine puro authoritatiué Sacramenta poterant institui.

4. Christus Dominus potestatem excellentiæ circa Sacramenta potuit Apostolis communicare.

5. Circa Sacramenta Legis Nouæ Christus Dominus quatenus homo, longè excellentiori modo se habuit quàm Moyses circa vetera.

6. Aliquorum Sacramentorum instituendorum facultatem à Christo Domino Apostolis fuisse concessam, asserere, est erroneum.

CONCLVSIO II.

SAcramenta Legis Nouæ in rebus & verbis determinatis, sunt instituta.

COROLLARIA.

1. Res & verba in quibus instituta sunt à Christo Domino Sacramenta non possunt mutari:

2. *Nil vetat in Sacramenti administratione rebus pro verbis aliquando vti.*

3. *Determinatio in verbis Sacramenti debet esse completa & maxima.*

4. *Mutatio in verbis manente sensu eodem, non impedit Sacramenti confectionem.*

5. *Sacramenta conuenientissimè per sensibile signum definiuntur.*

6. *Sacramentũ Legis Nouæ est res artificiata.*

CONCLVSIO III.

AD Cuiusuis Sacramenti administrationem Legitimus Minister habens rectam intentionem, requiritur.

COROLLARIA.

1. *Ex Creaturis rationabilibus solus homo est sufficiens administrator Sacramentorum.*

2. *Ex parte ministri requiritur intentio faciendi quod à Christo edocta facit Ecclesia.*

3. *Licet intentio actualis non sit simpliciter necessaria, non tamen habitualis sufficit ad Sacramentum rectè & legitimè conficiendum.*

4. *Ministri malitia non impedit effectum Sacramenti licèt peccet in conficiendo Sacramento.*

Ad-

5. *Administratio Sacramenti per Ministrum Apostatam habentem rectam intentionem Sacramenti veritatem non impedit neq; tollit.*

6. *Excepto Baptismo; ad alia Sacramenta requiritur Minister deputatus & legitimè ordinatus.*

CONCLVSIO IV.

SAcramenta Nouæ Legis sunt ordinata ad causandam gratiam, & Characterem.

COROLLARIA.

1. *Gratia in Sacramentis Legis Nouæ, est ceu in instrumentis virtutem ex Passione Domini nostri habentibus.*

2. *Sacramenta Legis Nouæ ad causandam gratiam etiam effectiuè, & Physicè concurrunt.*

3. *Sacramenta Legis Nouæ sunt longè præstantiora Sacramentis legis veteris.*

4. *Ad Legitimam Sacramentorum administrationem in suscipiente obicem non ponente, infallibiliter sequitur effectus.*

5. *Non est necesse per quoduis Sacramentum imprimi Characterem.*

Soli homines bene dispositi sunt capaces gratiæ Sacramentalis.

CONCLVSIO V.

SAcramenta Legis Nouæ ſunt numero Septem à Chriſto Domino inſtituta.

COROLLARIA.

1. *Conuenientiſſimè Sacramenta Nouæ Legis numero Septenario ſunt definita.*
2. *Hæreſis eſt, aſſerere pauciora vel plura quàm Septem Legis Nouæ Sacramenta.*
3. *Non fuit neceſſe omnium Sacramentorum res & verba in Sacra Scriptura tradi.*
4. *Eſto, Sacramenta Legis Nouæ ac veteris in ratione Signi vniuoce conueniant, non tamen in numero & virtute.*
5. *Cuiuis Sacramento Legis Nouæ ſuus correſpondet effectus ab alijs diſtinctus.*
6 *Ex Sacramentis Legis Nouæ, alia alijs ſunt præſtantiora.*

CONCLVSIO VI.

EX Sacramentis Nouæ Legis. Baptiſmus, Pænitentia, Ordo, & Euchariſtia, ſunt ad ſalutem hominibus ſimpliciter neceſſaria: Cætera quôad melius.

COROLLARIA.

1. *In Sacramenta prædicta quatuor, cadit necessitas simpliciter, non tamen eodem modo.*
2. *In Statu innocentiæ retento nulla fuissent Sacramenta.*
3. *In Lege Noua Matrimonium Sacramentis est connumeratum.*
4. *Confirmatio, Matrimonium, & Extrema vnctio non possunt dici superflua.*
5. *Eucharistiæ sumptio secundùm rem est necessaria necessitate Præcepti.*
6. *Dei misericordia sufficientissimè prouidit Saluti humanæ temporali & æternæ per Sacramenta.*

Sacramenta foris percipimus vt intus Sancti Spiritus gratiâ repleamur. D. Gregorius. Sup. 1. Reg.

Sub felicibus auſpicijs

Magnifici & Admodum Rndi Domini

M. ADAMI OPATOVII

S. Th. Doctoris ac Profeſſoris. Canonici Cracouienſis. Almæ Academiæ Cracouien. Vigilantiſsimi RECTORIS.


NIL SINE DEO